



B. 25.



EFFERTVR FVNVS  
GENEROSISSIMI AC MLTIS VIRTVTVM ATQVE  
INGENII ORNAMENTIS CVLTISSIMI

IUVENIS  
**IO. GASPARI**  
**DE MOZFELD**

EQVITIS CLIVENSIS  
FILII PATRIS  
ILLVSTRIS AC MVNERVM SPLENORE EXCEL-  
LENTISSIMI

**DN. FRANCISCI**  
**DE MOZFELD**

IVSTITIAE IVDICIIQVE AVLICI QVOD EST IN DV-  
CATV CLIVENSI AC COMITATV MARCANO SVPREMI  
DIRECTORIS LONGE GRAVISSIMI CVRATORIS ACADE-  
MIAE DVISEVVGENSIS VIGILAN-  
TISSIMI

VIRI MERITIS IN SERENISSIMVM BORVSSIAE REGEM  
PATRIAMQVE INSIGNITISSIMI  
QVOCIRCA  
ACADEMIAE CIVIS

EA QVA PAR EST HVMANITATE ROGAT  
VT  
FREQUENTES ISTVD  
SEQVANTVR

HORA III. POST MERIDIEM XL. IVNII  
FRIDERICIANAE PRORECTOR  
**D. IOANNES HENRICVS MICHAELIS**  
S. S. THEOLOGIAE ET LINGVARVM ORIENTALIVM  
PROFESSOR ORDINARIVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.







### Disserunt Medicorum filii de anti-

quitate & origine variolarum, neque illas in Hippocratis voluminibus inueniri, neque veteribus Romanis cognitatas scriptitant, persuasi, ex Aegypto malum hoc difficile sanabile Saeculo VI. post Christum natum in Europæum orbem transfretasse, contagioque suo innumera hominum millia prostrauisse. Cumque sapientia munus sit, providere in posterum, viroque periculo illud declinare; hinc quotidie experimur atque ab externis oris stupenda excogitari remedia accipimus; dum interea e vita depelluntur viri, feminae, senes, iuuenes, pueri, puellaque sine numero ac sine disputantibus inter se eruditis, vno hoc, altero istam methodum diuersis innoxiam principiis sectante. Saltem certo scimus, eas inter altercationes, ac lite nondum sopita, fatali hoc morbo exstinctum iacere IOANNEM GASPAREM DE MOZFELD, Equitem Cluensem, Iuuenem multis ingenii dotibus florentissimum; cuius mors sicuti & suis, & amicis, & bonis omnibus accidit acerbissima; ita haud erit ab re, vt, antequam ad tumulum deferatur enectum corpus, in vitam DEFUNCTI morelque intueantur omnes, qui pudoris, & officii, & industriae singularis delectantur exemplis. Ac genitus is est a. c. d. i. o. c. c. v. PATRE illustri FRANCISCO DE MOZFELD, Iustitiae iudiciiue aulici, quod est in Ducatu Cluensi, ac Comitatu Mareano, supremo DIRECTORE longe splendidissimo, VIRO meritis in potentissimum Borussiae REGEM, totamque prouinciam & Academiam Duisburgensem insignitissimo; MATRE ANNA IOANNA DE STEINBERGE, femina virtutum ornamentis non minus exulta, quam maiorum imaginibus clara: quorum PARENTVM eximiam indolem per omnem vitae cursum luculenter referebat FILIVS charissimus. Habuit namque ingenium a natura docile, & acre: vnde celeriter accipiebat, quae tradebantur, inprimis christianae religionis sanctissimas leges, virtutumque suauissimas doctrinas, quibus tanquam feminibus fecundiorum semper animam ad solida contendentem efficiebat. Humaniores litteras in vrbs Cluensis Lyceo didicit, vbi primam lucem adspexit. Cumque earum cupi-



SOLENNI

cupidissimus esset, studium adiunxit: quo factum, vt in numerum nobilium & diligentissimorum discipulorum referretur, sicque per varia disciplinarum interstitia corroboratam denique cognitionem in multis artibus ingenuo homine dignis nasciceretur, singula accuratius inuestigans, inque eloquentiam maxime & scribendi discendique facultatem omnes ingenii nervos conuertens, sine qua altiores Musæ frigent, nec felices in Philosophia, ac iure progressus perantur vnquam. Ex quo euenit, vt elegantis ingenii sui monumentum relinqueret præclarissimum, cum patrio exiret gymnasio & splendido orationis genere tum præceptoribus, tum commilitonibus, magna audientium laude, ac PATRIS læticia insigni vale diceret. HIC etenim alacres animi motus celeritatemque ingenii in FILIO haud temere miratus ad maximarum rerum studia in FRIDERICIANA persequenda non solum eum destinauit; verum etiam amicorum gratulationibus & litterarum prædiis bene munitum PROFESSORIBVS clarissimis amplius poliendum exhibuit, vt, quod ex vmbra atque domestica exercitatione didicerat, ibi augeter, & ad eruditionis fastigium, quo enitebatur animus excellens, tanto certius perueniret. Ac dici vix potest, quam ILLE omnium in se studia benevolentiamque conuerterit, quam primum ad nostras Musas a. MDCCXXIII æstiuo semestri appulisset. FRATRIS enim ardore in res præstantes atque diligentia nunquam satis dilaudanda excitatus pleraque, que domi hauserat, in solem & puluerem eduxit, atque in historiarum campum exspatiatus, GRVBRO vsus ductore, ita profecit, vt memoriam iudiciumque agnoscerent atque industriam extollerent omnes. Nec minus in Philosophiæ præceptis excolendis, ac iuris ciuili scientia consequenda studium enituit. Iustinianæ quippe institutiones, quæ sine antiquitatum luce vix intelliguntur, GVNDLINGIO & HEINECCIO, qui in Franeckeranam Academiam solenni diplomate euocatus ibi ius docet cum laude, præeuntibus, facili methodo didicit, rationis disciplinam ac Philosophiæ moralis genuina principia, itemque ius nature & gentium eodem GVNDLINGIO & FLEISCHERO interpretibus percepit, exoticas nunquam negligens linguas, ceterasque congruentes homini nobili doctrinas; ita in cunctis vitam componendo suam, vt ad rem publicam ornandam Eum aliquando aptissimum futurum haud vane hariolarentur vniuersi. Neque enim & probitas deerat IUVENI generoso, neque in virtutem innata propensio, multo minus religionis studium, vnde omnia bona defluunt, ac quibus sine animi dotibus nemini tuto committitur prouincia, vel reipublicæ munus gerendum. Verum tamen mors tum ILLIVS, tum PARENTVM, tum NOSTRAS rationes euerit. Cum enim FRATER ad patrios remeare lares cogitaret isque iam in procinctu staret ad iter ineundum; ex improviso iniecta est remora properanti; præualuitque mutandi consilii argumentum. Qui enim deserat frater FRATREM pustularum contagio infectum, sanguine communibusque studi-



studiis sibi coniunctissimum? præcipue cum totum corpus exulcerarent vari & vnam partem post alteram impeterent, rursusque vanescentes certo iudicio significarent, latere intra viscera maiorem veneni vim, quod exureret artus, attractum ab alto spiritum demum intercepturum. Quamuis enim IUNCKERVS & BECKERVS Medici præstantissimi omnem lapidem mouerent, ac depravatam habitum corrigere salutaribus medicamentis laborarent, vitamque ægrotantis vndecim dierum spatio vigilantia cura defenderent; non eo tamen valuit illorum industria, vt ne esset fatale debitum naturæ tandem persoluendum. VI. quippe Idus Iunias, posteaquam ILLE æternæ salutis suæ, abiecta spe longioris vitæ, prospexisset; & diuina ardentissimo studio anhelasset, inter adstantium preces, & FRATRIS & amicorum suauissimos amplexus vberimalque lacrimas animam sempiternis ornamentis decoratam Deo reddidit anno ætatis XIX. Vos, CIVES, quibus prosequi datur generosissimi IUVENIS funus, mementote mori; vtque plures ad hanc saluberrimam meditationem adducantur, frequentes adflore. Rogo vos per Christianæ nobilitatis insignia, rogo per summum ac immortale decus DEFUNCTI, rogo per totius honestatis & gloriæ celestis Architectum, ne tempus opportunum negligatis hoc die.

*Festinat decurrere velox*

*Nosculum angustæ miseræque breuissima vitæ portio.*

Quod occupamus, breue est spatium. Sursum corda! vt immortalitatem consequamini, quæ nulla medicorum opera præstatur. Quidquid ex hac vniuersitate mundi vel sollicitate aspectu, vel blanditur, vsu, decipit: immo tota hominis vita dies est. P. R.

Hala: Magdeburgicæ III. Idus Iunias  
MDCCLXXXIV.



Gb 1633.

4<sup>o</sup>

ULB Halle 3  
001 611 763




20

n. c.









EFFERTVR FVNVS

GENEROSISSIMI AC MVLTIS VIRTVTVM ATQVE  
INGENII ORNAMENTIS CVLTISSIMI

IUVENIS

IO. GASPARI

DE MOZFELD

EQVITIS CLIVENSIS

FILII PATRIS

ILLVSTRIS AC MVNERVM SPLENDORE EXCEL-  
LENTISSIMI

DN. FRANCISCI

DE MOZFELD

IYSTITIAE IVDICIIQVE AVLICI QVOD EST IN DV-  
CATV CLIVENSIS AC COMITATV MARCANO SVPREMI  
DIRECTORIS LONGE GRAVISSIMI CVRATORIS AC ACADE-  
MIAE DVISVVRGENSIS VIGILAN-  
TISSIMI

VIRI MERITIS IN SERENISSIMVM BORVSSIAE REGEM  
PATRIAMQVE INSIGNITISSIMI

QVOCIRCA

ACADEMIAE CIVIS

EA QVA PAR EST HVMANITATE ROGAT

VT


FREQVENTES ISTVD

SEQVANTVR

HORA III. POST MERIDIEM XI. IYNNII

FRIDERICIANAE PRORECTOR

D. IOANNES HENRICVS MICHAELIS



Farbkarte #13

B.I.G.

